Q. D. O. M. F. E. J.

DISSERTATIO JURIDICA,

23.a

De Lege I. princ. §.1. & 2.

Ad LEGEM CORNELIAM

DE

Sicariis ac Veneficis,

Quam

FAVENTE DIVINO NUMINE,

Et CONSENSU

MAGNIFICI JCTORUM ORDINIS IN ILLUSTRI UNIVERSIT. VIADRINA,

PRÆSIDE

DN. HENRICO COCCEJO,

JCTO,

SERENISSIMI atq; POTENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS BRANDENB. CONSILIARIO, Eidemq; AB AULÆ ELECT. CONSILIIS, nec non FACULT. JURID. IN ALMA VIADR. ORDINARIO, & PROFESSORE PRIMARIO,

Antea

SUMMI CONSILII STATUS ELECTORALIS PALATINI, ET COLLEGII REVISORII ASSESSORE, ET IN ALMA HEIDELBERG. DECRETAL. PANDECT. JURIS GENT. PROF. P. ORDIN. MERITISSIMO,

DOMINO PATRONO AC FAUTORE DEVENERANDO.

Publico Eruditorum Disquiſitioni ſubjicit

CHRISTOPHORUS ENGELBRECHT,

SCHIFFENB. BORUSSUS,

IN AUDITORIO JURIDICO,

Die XXIII. Octobr. MDCC.

Digitized by Google

Digitized by Google

B. C. D.

DISPUTATIO JURIDICA,

De Lege I. princ. §. 1. & 2.
Ad L. CORNELIAM
DE
SICARIIS AC VENEFICIS.

Proœmium.

LEges inter ac ſanctiones Civiles, quas ſuô ſuffragiô introduxit & autoritate publicâ recepit populus Romanus, multum excellere, & tantùm non Principem locum ſibi vindicare videtur, Lex Cornelia de *Sicariis*. Hanc meritò dixeris murum & propugnaculum tranquillitatis & otii civilis. Ea ſanè lex egregiè favet communi omni-

um civium ſecuritati tuetur eorum ſalutem, pacem & vitam, denique conſervat communem cognationem, quæ inter homines intercedit, quæque dictat nefas eſſe, alterum alteri inſidiari & violatâ naturâ vitam eripere. Intereſt enim Reipublicæ prohiberi, quin etiam acriter coërceri ſceleratorum hominum machinationes, quibus ſocietas humana & communitas evertitur, quibus turbatur ſanctiſſima naturæ Lex, quæ vim quamcunque à corpore, à capite, à vita noſtra procul eſſe jubet. Hujus ſaluberrimæ legis Autor fuit L. Cornelius Sulla, *l. 2. §. 32. ff. d. O. Jur.* cujus res geſtas uti celebrat hiſtoria Romana, ita deteſtatur immanem ejusdem ſævitiam, quam dira proſcriptione horrendum in modum exercuit adverſus cives ſuos in ipſa urbe Roma. Ubi cùm occaſione turbarum civilium multi gladiis & ſicis armati per totam urbem diu ſatis diſcurriſſent & promiſcuis cædibus pasſim graſſati fuiſſent, ad opprimendos & ſpoliandos cives in proſcriptionis tabulam relatos, donec vix eſſent quibus imperaret Sulla; tandem neceſſe fuit redintegrandæ paci & quieti publicæ compeſcere hanc licentiam & in tuto collocare ſtatum civitatis. Eâ gratiâ Legem de Sicariis publicavit, quâ feralem hunc impetum refrænare, meritisque pœnis homicidas adficere ſtatuit. Legis iſtius nobile argumentum exactè & prolixè tractant Juris Romani Auctores, idemque mihi eodem pede pro more Diſſertationis Academicæ non indiligenter examinare decretum eſt. Ordinis autem & juſtæ methodi causâ noſtrum tractatum abſolvemus ſecundùm verba

Mar-

Marciani, qui ſummam Legis Corneliæ hoc modo recitat in *L. 1. ff. ad Legem Corneliam de Sicariis: Lege Cornelia de Sicariis & Veneficiis tenetur, qui hominem occiderit, cujusve dolo malo incendium factum erit; quive hominis occidendi furtive faciendi cauſa cum telo ambulaverit: quive cum Magiſtratus eſſet, publicove judicio præeſſet, operam dediſſet, quo quis falſum judicium profiteretur, ut quis innocens conveniretur, condemnaretur. Præterea tenetur, qui hominis necandi venenum confecerit, dederit quive falſum teſtimonium dolo malo dixerit, quo quis publico judicio rei capitalis damnaretur.*

CAPUT I.

Quo disquiritur, quinam ſint homicidæ, & qui Lege Cornelia teneantur.

§. I.

LEx Cornelia generali ſanctione perſequitur *homicidas*, ut loquitur Juſtinianus in *§. 5. Inſt. de Publ. Jud.* vel, ut ait Marcianus *h. l. 1. qui hominem occiderit.* Vocis *occidendi* interpretatio tracta eſt à *cædendo* & à *cæde*. *Cædere* eſt percutere, *occidere* eſt valdè percutere, ſic ut mors inde ſequatur, (præpoſitio enim auget vim verbi,) hinc *occidere* dicitur, qui mortis cauſam quolibet modo præbuit, & ſangvinem humanum effudit. *Cædes* enim videtur ſignificare ſangvinem & ferrum, verba ſunt

Digitized by Google

Quintiliani *Declam. 350.* Inprimis autem Lex Cornelia ſpectat *Sicarios* ita dictos à *ſica*, quod notat cultrum ferreum, autore Cæſare *d. §. 5.* Cujusmodi cultros & pugiones Sicarii ſub veſtibus abſcondebant, ut iis armati, more latronum, alios invaderent, & clam palamve è medio tollerent. Imo quicunque hominem *dolo malo* occiderit, Lege Cornelia tenetur. *Dolus* in homicidio deſideratur, *l. 7. h. t.* i. e. voluntas malignum propoſitum & animus occidendi; Adeò Lex noſtra pertinet ad conſultum & deliberatum homicidium, dolo dataque operâ admiſſum.

II. Quare, ſi quis hominem interfecerit non occidendi animo, eum abſolvi poſſe, rationis eſt, & reſcripſit Divus Hadrianus *l. 1. §. 3. h. t.* In eam quoque ſententiam rectè diſſerunt, Farinacius *Oper. Crim. part. 5. th. 126. n. 2.* Carpzov. *Pract. Crim. part. 1. Q. 2. n. 16.* Vulnere ultro inflicto intelligitur cædes facta *dolo malo;* quatenus ipſe reus non evidenter oſtendit abfuiſſe propoſitum & conſilium occidendi, *arg. l. 5. C. ad leg. Corn. de Sicar. l. 5. C. de Injur.* Adde Carpz. *Pract. Crim. Part. 1. Qu. 1. n. 25. & ſeqq.* Anth. Matthæum *de Crim. ad Lib. 48. ff. tit. 5. c. 3. n. 4.* Sed unde colliges voluntatem & animum occidendi? *Ex re conſtituendum hoc* optimè dixit Hadrianus Imperator *d. §. 3. l. 1.* *Ex re,* i. e. ipſo facto, circumſtantiis & hiſtoria rei geſtæ, vel, ut Baſilici explicant eum locum, *Animus ex inſtrumento percuſſoris demonſtratur; Nam ſi gladium ſtrinxerit eoque percuſſerit, indubitatè occidendi animo id eum admiſiſſe,* cenſet idem Cæſar Hadrianus *d. §. 3.* Proinde ſi cultro, ſicâ fuſti vel quo alio telo ſciens uſus fuerit, res ipſa doli arguit illum.

III.

Digitized by Google

III. Pergit idem JCtus ex Hadriani reſcripto: *Sed ſi clavi percuſſit, aut cucumâ in rixa, quamvis ferro percuſſerit, tamen non occidendi animo, leniendam pœnam ejus qui in rixâ causâ magis, quàm voluntate homicidium admiſit.* Eſt hæc oratio prioribus verbis oppoſita, quæ continet ſpeciem cædis, non mente neque animo occidendi factæ. Si quis percuſſerit *clavi,* (alii legunt *clavâ*) vel *cucumâ,* (hæc ſignificat genus vaſis inſtar cucumeris ex ferro vel qua alia materia) quamvis ferro percuſſerit, tamen non occidendi animo facit, ſi nempè talis cædes contigerit in *rixâ.* Is erit horum verborum ſenſus: Qui occaſione rixæ homicidium perpetravit, clavi aut cucuma, quamvis ille percuſſerit i. e. tali inſtrumento quod ferreum erat, vel ex parte compoſitum ex ferro, non tamen habuit animum occidendi, quia non adhibuit inſtrumentum cædis ordinarium. Exinde ſequitur iſtud *πόρισμα,* leniendam eſſe pœnam ejus qui in rixâ homicidium admiſit *cauſa magis quàm voluntate.* Græci interpretes pro *cauſa* vertunt *caſu;* & ſic olim edidit Accurſius: Non malè, quatenus hujusmodi cædes fortuito potiùs & inconſulto, quam datâ operâ creditur perpetrata.

IV. Hæc explicatio quamvis plana ſit, & menti ac verbis reſcripti congrua, variè nihilominus à multis accipitur. Sunt Viri eruditi, qui nimiæ ſubtilitatis prætextu, hanc integram pericopam ceu vitioſam corrigere nituntur & hunc in modum lectionem vulgatam mutare: *Si clavi percuſſit aut cucuma, aut ferro in rixa quamvis percuſſerit:* Qua emendatione id intendunt Viri doctiſſimi, ut tres quaſi gradus

gnoſcendum putabit judex? Nihil minus cogitat Hadrianus, nihil magis alienum eſt à bono & æquo. Imo ajunt ipſa ratio humanitatis illud ſvadet, quæ, præeunte Legis Corneliæ autore, caſum & neceſſitatem diſtinxit à dolo & propoſito, at qui in rixa qualem qualem admiſit cædem, hunc delicti im̃unem pronunciare non verentur. Hoc ſi eſt, peſſimè conſultũ foret ſaluti communi & ſecuritati generis humani. Scio *dolum* plecti Lege Cornelia; ſcio *dolum* ſignificare propoſitum & animum occidendi; Verùm etiam ego didici, nõ hunc ſolum eſſe dolum, quo delinquunt latrones, altè præmeditata προαιρέσεως ac longè deliberato animi conſilio, ſed & ſi indomita ira pravæque libidinis impetu motus aliquis peccaverit, *l. 11. §. 2. l. 16. §. 2. de Pœn. l. 7. §. ult. ad Leg. Jul. repetund.* quæ temeritas acriter eſt coërcenda in graviſſimo cædis facinore, quo magis illic eſt periculum ferro & armis, quæ rixantium furor improbus ſubminiſtrat, in necem aliorum ſæviendi. Quæ maleficia ſi manerent impunita, pro rigore Legis Corneliæ feneſtra foret aperta licentiæ & audaciæ malorum hominum, qui plerumque noxio affectu corrupti ad ferrum & manus venire ſolent. De his tantùm percuſſoribus, qui clavâ, cucuma, aliove inuſitato inſtrumento in rixa interemerunt alios, pauló molliùs lex præſumit, & hactenus impetum eorũ à doli interpretatione liberas, ut fato magis quàm voluntati cædem imputet, locumque faciat Ulpiani monito *l. 5. §. ult. de Pœn. qui referre in majoribus delictis exiſtimat, conſulto aliquid admittatur, an caſu. quæ diſtinctio ſemper aut pœnam juſtam eligere*

debet

debet aut temperamentum admittere. Denique cùm planè fortuitâ rixâ & pœnè innocenti conſilio cædem quis patravit cultro vel ferro, totum hoc judex moderabitur, & prudenter ex animi ſui religione æſtimabit, an favorabili ſententia ſit pœna lenienda, nec ne; quemadmodum Alciatus *lib. 2. Disjunctionum cap. 17.* refert, leviore pœna affectum puerum, qui colluſorem ſcalpelli improviſo ictu in rixâ fortuitâ peremiſſet. Eadem ætatis miſeratio & puerilis lapſus occurit *in l. 16. §. 8. de Pœn.* de eo, qui fillum occiderat Amphidamantis, puer ipſe, imprudens, invitus, circa talos iratus, cujusmodi caſus fortuiti olim apud Græcos exilio voluntario luebantur. Quod ſi nihil aliud velint novellæ ſententiæ Auctores, non eſt, ut tantum capiant laborem, aut ope critica hanc veritatem exſculpere ſatagant. Noſtra ſententia, quæ vult excipi ſolam cauſam cædis inſolito more in rixa factæ, comunis eſt; quam præter Carpzovium & Ant. Matthæum, locis ſupra adductis, etiam ſequitur Ant. Faber *in Codice lib. 9. tit. 10. def. 6. pr.* & noviſſimè D. Huberus *in Prælect. ad h. t. Pand.*

V. Punitur itaque Lege Cornelia, qui hominem occiderit, & quidem non habita differentia, cujus conditionis hominem interemerit. *l. 1. §. 2. h. t.* Fortunæ diverſitas non diſcernit animum improbum & nefarium occidentis propoſitum: *nec ullus eſt tam vilis hominis ſangvis, ut non inquinet manus,* ait appoſitè Quintilianus. Perinde eſt, utrum liber homo, an ſervus manu cruenta perierit, ex ſententiâ Legis Corneliæ *l. 23. §. 9. ff. ad Leg. Aquil. §. 11. Inſt. eod.* Quamvis enim civili-

civiliter ſervi pro nullis habeantur, *l. 32. de R. J.* natura tamen communis eſt, *l. 12. §. fin. de Accuſ.* &, quod ad jus naturale attinet, omnes homines æquales ſunt. Hanc naturæ Legem conſideravit Cornelius Sulla, qui conditionis humanæ egregie memor nullo diſcrimine ſervos & homines liberos habuit, eâdem propoſitâ pœnâ, quoties membrum ſocietatis humanæ dolo ſit extinctum. Imo reprehendendi maximopere ſunt mores Polonorum, aliarumque Gentium hodiernarum, cædes virorum honeſtorum ordinariâ pœnâ plectentes, humiliorum verò & viliorum mortalium ære modico luere jubentes. Tanta non eſt diſparitas naſcendi & vivendi ſors, ut eâ proſtituatur dignitas humanæ naturæ.

VI. Quæſitum hinc fuit de eo, qui ſervum occidere in animum induxit, ſed errans liberum hominem percusſit ictu mortifero, ſeu, quod hîc idem eſt, qui, cùm Titium occidere pararet, errans in perſonâ, Mævium læto dedit. Nos confidenter & adſeveratè dicimus, hunc eſſe cædis reum. Habuit utique animum & voluntatem occidendi, turpi conſiliô dedit operam rei illicitæ, ipſo etiam facto occidit, quamvis non eum quem deſtinaverat. Sufficit in hunc finem dolus & ſubſecutum cædis factum. Uti cædes, ſic & injuria pendet à dolo, & ideo, ſi quis putet Lucium Titium eſſe, cui velit injuriam facere, cùm ſit Sejus punitur intentio cum effectu, neque error eum excuſat, quominus injuriarum teneatur. *l. 18. §. 5. de Injur.* Dices, erràſſe cædis Autorem, & ſic non dolo, ſed latâ culpâ feciſſe, quæ dolo non æquiparatur, *l. 7. h. t.*

Quod enim ſcelus error habebat? Fateor ſanè non adfuiſſe mentem interficiendi Mævium, dum percutere Titium volebat, ſed iſte error non tàm minuit crimen, quàm auget in curiâ. Interim ipſe verſabatur in flagitio & conatu cædis, effectu quoque ſceleris potitus eſt, licet in alia, quàm opinabatur, perſona; quæ omnia requiſita examusſim conveniunt Legi Corneliæ. Capita obſtantia removet D. Wiſſenbachius *ad h. t. §. 17.* ubi vide plures idem ſentientes Doctores.

VII. Non eſt etiam dubium, quin occidiſſe hominem dicendus ſit, qui mandavit alium interfici. *Nam mandator cædis pro homicida meritò plectitur. l. 15. §. 1. h. t.* Hæc veritas non tantùm expreſſo textu probatur, verùm etiam ex tota Juris analogia, quæ dictat eadem ſeveritate puniendum eſſe eum, qui turpe mandatum dedit, & qui contra bonos mores illud executus fuit. Is damnum dat, qui jubet dare, ſecundùm juris regulam *in l. 169. de R. J.* Ideò etiam injuriarum tenetur, qui dolo procuravit ut injuria fiat, æquè ac is qui ipſe fecit injuriam. *§. penult. Inſt. de Injur.* & albi corrupti tenetur qui dolo malo mandavit Album Prætoris violari *l. 7. §. ult. de Jurid.* Idem in homicidio procedit, ut uterque mandans & mandatarius ad pœnam facti obligetur. Quid autem ſi mandatarius fuerit ſubjectus poteſtati mandantis cujus juſſu & imperio facinus peregit, nonne tum excuſabitur? Nequaquam in his, quæ habent atrocitatem ſceleris ignoſcitur peccato, quod admiſerit qui alterius autoritati obtemperavit, *l. 157. de R. J.* velut ſi Dominus hominem occidere, aut furtum alicui

licui facere ſervum juſſiſſet, oportet pœnas eum pendere: *l. 26. de O. & A.* alioquin in levioribus delictis, â quibus abeſt facinus, lex magis parcit delinquentibus.

VIII. Haud æque expeditum eſt, an is, qui hominem vulnerari mandavit, eundem cæde ſecuta cenſeatur occidiſſe? Certi juris quidem eſt, mandatarium ſervare debere fines mandati, quas ſi exceſſerit, hactenus obligare nequid mandantem: ſed cùm vulnera non infligantur ad menſuram, & ille qui vulnus mandat operam det rei illicitæ, oportet eum de toto eventu teneri, qui exinde ſequi poterat. *l. 38. §. 5. de Pœn. l. 16. §. 8. Eod.* Quare cum mandatum iſtud præbeat cauſam cædi uſu venit argumentum, *l. 4. pr. ad Leg. Cornel. de Sicariis.* quo nihil intereſſe dicitur occiderit quis an cauſam mortis dederit. Qui voluit inimicum ſuum vulnerari, non potuit ignorare, ſaltem cogitare debuit, non eſſe in manu mandatarii, ſic temperare ictum, ut ne illato vulnere mors ſequatur. Unde ſubſecuta morte, neceſſe eſt, hunc noxium eventum, qui per imprudentiam & conſequentiam vulneris accidit, imputare mandanti. Vide ſuper hoc quæſito Ant. Matthæum *de Crim. p. m. 544.* D. Wiſſenbachium *ad Inſt. Diſp. 37. n. 18.*

IX. Eodem ferè modo dicemus, eum cujus ope & conſilio cædes facta eſt, perinde teneri ac ſi hominem occidiſſet. De hoc autem caſu quamvis lege ſpeciali deficiamur, eò nos tamen ducit apertiſſima juris ratio, quæ docet alios ſvadendo juviſſe ſceleris inſtar eſſe *l. 16. pr. de Pœn.* Et in furto, cujus delicti meritum pendet à dolo ſicut homicidium, con-

ſtat, eum quoque teneri, qui ipſe quidem non fecit furtum, ſed cujus ope conſilioque factum eſt furtum, *§. 11. Inſt. de Oblig. ex delict. & l. 54. §. 4. de Furt.* quemadmodum & Parricidii pœna tenebitur qui ſciens ad ſcelus committendum auxilium tulit. *l. 7. ad Leg. Pomp. de Parr.* idemq; ſtatuitur in crimine raptus. *l. un. C. de Rapt. Virg.* Quare, ſi alius ducatum ſceleri præbuerit, alius verò opem & miniſterium adhibuerit, poſterior ille hominem occidiſſe intelligitur non minùs quàm ipſe Autor & architectus, qui effectum dedit homicidium. Qui rigor nón procedit in eo qui ratum habet ac laudat factum & executionem cædis, ut rectè cenſet Zœſius *ad h. t. ff. n. 73.* Quær. ſi plures ſimul aggreſſi fuerint alium, eumque neci dederint, an omnes L. Corn. excipiantur ut homicidæ? Lege Aquilia certum eſt, omnes & ſingulos in ſolidum teneri de occiſo, ſeu ex 3. Capite, *l. 11. §. 2. ad Leg. Aquil.* niſi ſatis appareat, cujus ictu perierit homo, qui tum ſolus tenetur de occiſo, reliqui de vulnerato *l. 51. eod.* Lege verò Corneliâ nemo eorum tenetur, niſi Autor cædis unus è pluribus liquidò probetur. Sin autem omnes datâ operâ irruant, doloque malo cædis propoſitum oſtendant pariterque exequantur horrendum facinus, pœna erit omnium æqualis, & ſi propriè ignoretur, cujus ictu mors illata ſit, ut modò laudatus Zœſius ſentit. *d. l. n. 29.* In tumultu vel rixa, ſi plures hominem interfecerint, videtur obtinere mitior extra ordinem pœna ſi percuſſor ipſe ignoretur. *per l. ult. h. t.* Illi equidem, ſi certus & notus ſit, lex minimè parcit, at ſingulorum intuitu nimis dura

dura foret iſta ſanctio, quamdiu ambigitur & dubitatur de Autore mortiferi vulneris. D. Wiſſenbach. *ad Tit. ff. de Lege Aquilia §. 13. Autoresque ab illo citati.*

X. Ex eo tandem, quod lege Cornelia tenetur is, qui *hominem* occidit, facillimè quæri poteſt, an mulier, quæ in partum ſuum acerbâ, fœtum abegit, ad Legis Corneliæ ordinariam pœnam pertineat? Quæſtio vertitur in eo, an partus necdum editus in lucem *homo* dici queat? Hoc primâ facie negandum videbatur, quia partus eſt pars viſcerum & matris: *L. 1. §. 1. de Vent. inſp.* nec homo rectè dicitur, ut ait Papin. *l. 9. §. 1. ad Leg. Falci.* ſed potius ſpes hominis vel animantis. *l. 2. de Mort. inf.* Rectè tamen & piè Tertullianus dicit, *Feſtinatio homicidii eſt prohiberi naſci.* Quam ſententiam in hâc materia probant Juris Autores, putantq; hominem dici poſſe fœtum in utero jam formatum ad formam & ſpeciem humanum: *l. 38. §. 5. de Pœn.* ubi ſummo ſupplicio locus datur, ſi abortionis poculo mulier perierit aut *homo*, i. e. fœtus hominis in ventre formatus. Unde Tryphoninus autoritate Ciceronis refert *l. 39. de Pœn.* mulierem Mileſiam fuiſſe rei capitalis damnatam, quòd malis medicamentis ſibi partum abegiſſet. Et Ulpianus ſcribit *l. 8. h. t.* mulierem, quæ viſceribus ſuis vim intulit, quo partum abigeret, à Præſide provinciæ in exilium eſſe dandam; ubi intelligi videtur perpetuum exilium ſeu deportatio, quæ pœna erat L. Corn. Sed ei adverſari creditur Marcianus *in leg. 4. de Extraord. Crim.* qui memorat reſcriptum Severi & Antonini, quo fœmina, quæ deditâ operâ abegit, â præſide mittitur in temporale exilium,

Digitized by Google

quæ pœna levior & extraordinaria planè eſt. Sunt qui opinantur aliud ſæpe Imperatores reſcribere, aliud JCtos reſpondere. Verùm, neuter textus agit de caſu, quo partus abactus & homo occiſus eſt, ſed *d. l. 8.* de Conatu, quo mulier vim intulit, ut *partum* abigeret; qui conatus proximè facto habetur & punitur L. Corn. At *d. l. 4* de caſu, quo abegit, ſed non *partum:* quo verbo intelligitur fœtus jam formatus in figuram hominis, ein lebendig gliedmäſſig Kind/ uti vocatur *in Ord. Crim. art. 131. 133.* Hunc autem caſum intelligi patet, nam nec partùs mentio fit, & ratio pœnæ additur, quia ſpem mariti fraudavit, nòn quia hominem occidit. Quam diſtinctionem utut nonnulli improbent, patet tamen ea *ex dd. ll. Exod. 21. v. 22. & c. 8. 9. 10. cauſ. 30. q. 2.* conf. Dn. Wiſſenb. *ad ff. de Extraord. Crim. §. 55. autoresq; magno numero ibi citatos.* & de pœna hodierna Carpz. *p. 4. conſt. 4. def. 3.*

Cap. II.

Quo exponuntur reliqui caſus, qui incidunt in Legem Corneliam.

I.

Vidimus in ſummâ quinam teneantur hac lege, eò quòd hominem occiderint. Oportet nunc reliquos caſus contemplemur iſto ordine, quem ſibi propoſuit Marcianus *in l. 1. h. t.* Pergit itaque: *Cujusve dolo malo incendium factum erit.* Hæc pars legis coërcet *incendiarios*, qui dolo malo incendunt

cendunt & flammis devaſtant ædes alienas. Videtur occaſionem ſumpſiſſe de incendiariis agendi, quoniam proſcriptionibus turbato Reipublicæ ſtatu homines mali ſpe prædæ inducti ſæpe domos expugnabant & incendebant, ut in iſtac ædium ruinâ omnia pro lubitu raperent ac ferrent occiſo patrefamilias. Ob eam cauſam lex Cornelia meritò ſententiâ ſuâ comprehendit illos, qui incendium feciſſent. *h. l. 1.* Unde, *ſi quis dolo inſulam meam*, h.e. domum, *exuſſerit capitis pœnâ plectetur. l. 10. h.* Cur ita? quia capitalis pœna poſteriori tempore ſucceſſit in locum deportationis, quæ fuerat vera & propria pœna legis noſtræ. Iterum Caliſtratus *l. 28. §. 12. de Pœn. Incendiarii capite puniantur, qui ob inimicitias vel prædæ cauſam incenderint intra oppidum, & plerumq; vivi exuruntur.* Atrox facinus & iniqui exempli morte piandum ſi *dolo* committitur, i. e. data opera, ut Ulpianus *in l. ult. §. 2. de Incend. ruin.* vel ubi ſciens prudensque id aliquis admiſerit, ut Cajus *in l. 9. eod.* ſeu fiat prædæ ſive inimicitiæ causâ. Quamvis autem Lex Cornelia *factum* incendium ponat, & ſic ad effectum ſceleris reſpiciat, nullus tamen dubito, quin hoc ipſum quoque obtineat, ſi incenſæ quidem ædes, ſed non exuſtæ & penitus flammis conſumptæ fuerint, extincto patrisfamilias & vicinorum operâ ac diligentiâ incendio. In maleficiis enim atrocioribus ſæpe voluntas, non exitus ſpectatur. *L. 14. h.* quod dictum huc applicare non veremur, ubi eſt ſceleris momentum atque ruinæ cùm privatæ tum publicæ periculum Conf. *l. 3. §. 1. §. 4. l. fin. ff. de Off. Præf. vig.* & Ant. Matth. *de Crim. p. m. 508.*

II. Ad-

II. Addit deinde Marcianus: *Quive hominis occidendi furtive faciendi cauſa cum telo ambulaverit.* Tenentur hâc lege non tantùm, qui perfecerunt homicidium, ſed & qui cum telo ambularunt hominis occidendi gratiâ, quos idem Cornelius eadem ſeveritate compeſcuit, quia tum temporis innumeri ſicis & gladiis armati per urbem vagabantur ut inſidias ſtruerent civibus eosque more latronum neci darent, Oportet ſanè crimina neutiquam ex ſolo animi propoſitione metiri ſed adſumpto actu intelligi, ut quis ipſo actu conſilium ac initium ſceleris oſtendat. *l. 225. de V. S.* Hoc verè agunt, qui cum telo ambulare, & hominum vitæ inſidiari audent. *h. l. 2.* Eorum intuitu *dolus* pro factô accipitur, *l. 7. h.* & non exitus, ſed *voluntas*, h. e. obſtinatum occidendi propoſitum ſpectatur ex celebri reſcripto D. Hadriani *l. 14. h.* Multò magis igitur, qui ad ipſum facinus progreſſi conſultò hominem vulnerarunt ut occiderent pro homicidis damnandi ſunt, *l. 1. §. 3. h.* Nimis verò generaliter in capitalibus & atrocioribus flagitiis eodem modo voluntatem quo effectum puniri quidam voluerunt, exceptis iis in quibus lex nominatim deſiderat ipſum factum, quemadmodum Lex Julia loquitur de facto adulterio *l. 12. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* In levioribus planè delictis conatus mitiori pœnâ afficitur, uti docet Wiſſenb. *ad h. t. n. 13.* Rigor iſte homicidii, quo conatus homicidii plectitur æque ac perfectum ſcelus, defendi poteſt pro tempore latæ Legis Corneliæ, quando ſicarii vix diſcerni poterant ab iis, qui telis armati incedebant, idemque periculum ci-

vibus

Google

vibus imminebat ab utrisque. Utcunque autem hodierni mores hâc parte ſint mitiores,& eventum cædis ſpectare nudumque conatum quemlibet, etſi actui proximum, ordinariæ pœnæ eximere malint, teſte Gail. *de Pace publ. lib. 1. cap. 14. num. 16.* Mynſing. *3. Obſ. 9.* haud abſurdum nihilominus fuerit etiam hodie tales, qui armati in publicum prodeunt, & obſtinatè in animum inducunt homines jugulare, gladio ſubjicere, quales ſunt *Aſſasſini* vulgô dicti, qui mercede conducti ſe armant in necem aliorum, aut aliàs ſine pecuniâ malô animô dant operam turbandæ ſaluti & vitæ aliorum. Tam audaci, ſceleſto & immani propoſito qui ſtudent, procul dubio merentur exitum homicidarum, quem pati quoque deberent, quotquot occidendi mente hominem vulnerarunt, & quod in ſe eſt, executione turpe ſunt defuncti, quamvis factum obſtet quominus eorum malitiæ reſpondeat, eventus mortis, quem animo ſuo propoſuerunt ut adſequerentur.

III. Cœterum, illud conſiderandum eſt Lege Corneliâ conjungi illos, qui telum portant *hominis occidendi & furti faciendi cauſa.* Unde hæc comparatiò? An jure noſtrô furtum, imò conatus furti ultimô ſuppliciô afficitur? Non putem: quid ergo eſt? Dic potiùs, Sicarios, qui priſtinâ bellorum civilium licentiâ ferro armati circumibant, non modò homines trucidare, ſed & amplius juxtà cædem ea quâ erant ferociâ & immanitate, ſolitos fuiſſe moliri furta, rapinas & expilationes ædium, eaque de cauſa Legem noſtram meminiſſe furti faciendi. Utitur au-

Digitized by Google

tem hoc loco Marcianus particulâ *vel,* quæ vel disjunctivè ponitur vel copulativè. *l. 53. de V. S.* Si dixeris hancce voculam referre disjunctionem, iſtud velle debet JCtus, eos, qui cum telô ambulant, & præ ſe ferunt animum furandi, etiam meditari cædem adverſus Patrem familias, qui illorum machinationi inprobæ reſiſtere auſit. Si verò hæc particula accipitur copulativè, vel ſaltem ampliativè, ut uſurpatur in *Leg. pen. C. de Pign. act. l. 4. C. de V. S.* tum hoc modo rectè acceperis orationem JCti, ſcilicet Legis Corneliæ pœnam manere illum, qui telo inſtructus, homicidium machinatur, & ſimul animum adjicit ad furtum faciendum, dummodò utrumque ipsô actu demonſtret. Utrovis autem modô hunc articulum exponas, res eodem ferê redit, ſenſus utique erit ſanus.

IV. Quod jam ſequitur ad Magiſtratus & perſonas publicas ſpectat: *Quive cùm Magiſtratus eſſet, publicove judicio præeſſet, operam dediſſet, quo quis falſum judicium profiteretur, ut quis innocens condemnetur.* Hæc pars ſanctionis reſpicit Magiſtratus populi Romani, & quæſtores publicorum judiciorum, ne dolô malô navent operam conveniendis atque condemnandis innocentibus ac miſeris rerum capitalium reis. Oportet judicem boni & innocentis viri officio fungi, decet illum potius impunitum relinquere facinus nocentis quàm innocentem damnare. *l. 5. de Pæn.* Quid magis huic officio Judicis adverſatur, quàm corrumpere teſtes, ſubornare falſos indices & delatores, hisque malis artibus opprimere innocentes in capitali causâ?

Digitized by Google

causâ? Tam indignum, dirum & animadvertendum eſt facinus, ut non nequeat homicidio æquiparari.

V. Præterea tenetur, *qui hominis necandi causâ venenum confecerit, dederit.* Eos inter, qui nefandis artibus in vitæ diſcrimen adducunt homines, primas obtinet partes *Venefici*, quorum hæc eſt opera ut venenô homines occidant aut necandi gratiâ conficiant & parent venenum, Ipſa veneni vox ἐκ τῶν μέσων eſt, ê verbis mediis, quæ vel in bonam partem accipere vel in deteriorem rapere licet. Hocce nomen medium continet æquè venenum, quod ad ſanandum quàm occidendum hominem paratum eſt, *l.3.§.2.h.t.* At in Lege Corneliâ malum venenum notatur, quod ſi fecerit, habuerit aut vendiderit, plectitur ceu homicida. *l.3.pr.h.t.* Aliud eſt conficere aliud verò dare venenum. Qui coxit atque paravit venenum, hic intra primum malitiæ gradum ſubſiſtit, ſed qui dat venenum is vel occidit, vel hoc agit ut in ultimum vitæ diſcrimen deducat illum, qui hauſit oblatam ſibi potionem. Voluntas ejus qui coxit & confecit venenum pro factô accipitur, quam vis dare non potuerit. Iſte conatus æque noxius habetur ad exemplum ejus, qui cum telô ambulavit hominis occidendi causâ, nondum tamen interemit. Datio veneni eſt ipſa facti executio, & homicidi proxima cauſa, quæ licèt effectu careat, & fato mortem evadat is cui datum fuerat, ille tamen qui præbuit venenum, ſeveriſſimè puniendus erit, & pro homicidâ damnandus, quemadmodum antea diximus de his qui hominem vulnera-

nerarunt ut occiderent, & ſi in irritum cedat eventus. Laudanda profectô eſt hujus animadverſionis juſtitia contra venenarios, quia plus eſt hominem extinguere venenô, quam occidere gladiô *l. 1. C. de Malef. & Mathem.* Contrà vim externam & apertam, quæ mucronibus & gladiis infertur, armis ſæpè ſalutem ſuam tuendi copia eſt, ſed veneni clandeſtinas inſidias, quâ curâ, quâ diligentiâ cognoſcere datur & avertere? Quo majus itaq; periculum eſt veneni, quo nos intercipere moliuntur homines mali, eò magis creſcit fœdiſſimi criminis turpitudo, quæ Legum acerrimam exigit vindictam.

VI. Deinde notatur eadem Lege, *qui falſum teſtimonium dolò malo dixerit, quo quis publicô judiciò rei capitalis damnaretur.* Qui flagitioſâ & immani vecordiâ falſum perhibere teſtimonium auſus fuit in necem rei capitalis, næ is conatur hominem occidere turpi mendaciô circumvenit judicis religionem & cauſam mortis præbet, dum malâ fide merisque calumniis autor eſt, ut judex imprudens & veri ignarus ac ſecutus officium ſententiam ferendi ſecundùm acta &, probata, inſontem capitis damnet. Hoc L. Corneliæ caput egregiè conſentit ſanctiſſimæ legi divinæ, quâ cautum ut qui malo animo falſum teſtimonium dixit in proximum, excipiat eandem pœnam, quæ cœteroquin infligenda foret reo convicto, ut extat in Jure Moſaicô *Deuteron. 19. v. 16. & 19.* Et, cùm noſtrô caſu nihil interſit occidat quis an cauſam mortis præbeat; is autem, qui falſum & mendax teſtimonium pronunciat in reum capitalem, autorem ſe præbeat mortis

mortis inferendæ decreto Magiſtratus, juſtisſimè detectum flagitium vindicatur eodem modo, quo puniendus eſſet ille qui vocatus erat in capitis periculum, ſi pro convictô & confeſsô habitus fuiſſet à judice.

VII. Huic tàm crudeli & horrendo ſceleri affines ſunt *Magiſtratus atque Judices qui ſub capitalem cauſam pecuniam acceperint, ut quis publicâ Lege reus fieret,* quod nominatim prohibet Lex Cornelia, & adjicit Marcianus. Quemadmodum gravisſimè peccant teſtes, qui pecuniâ ſe corrumpi ſunt pasſi, vel etiam ſuâ ſponte falſo teſtimonio ſe adſtringunt in re capitali; ſic quis neget eandem crudelitatem & infamiam ſequi Magiſtratus & Judices, qui publicâ autoritate præditi eorum quid fecerint in hominis necem, quod legibus permiſſum non ſit, maximè ſi pecuniâ acceptâ publicâ lege reum aliquem ſtatuant. Tales rectisſimè tenentur ut Sicarii *l. 1. & l. 4. h. t.* Quin etiam incidunt in legem *repetundarum,* qui cum in Magiſtratu ſunt, ob hominem necandum pecuniam acceperunt; imò licèt non acceperint, calore tamen inducti interfecerint vel innocentem vel quem punire non debuerant, ait Marcianus *in l 7. §. fin. ff. ad Leg. Jul. repet.* Quam ergò illi pœnam ſentient? Audiatur idem Marcianus: *Capite plectendi ſunt vel certè in inſulam deportandi,* quæ eſt ipſisſima Legis Corneliæ de Sicariis pœna. Sapienter & optimâ ratione Cornelius in rem communem conſuluit, ac tanquam homicidas tractavit omnes, qui publico privatove reſpectu impiè quid machinantur adverſus vitæ ſecuritatem & bonorum innocentiam.

 VIII.

Digitized by Google

VIII. Huc usque κατὰ πόδας & verbotenus executi fuimus generale argumentum *Legis Corneliæ*, quod oratione ſua complectitur Marcianus *in l. 1. h. t.* Sed ut fit, è Senatusconſultis juſtâ interpretatione diverſæ cautiones acceſſerunt, quæ homicidio proximæ videbantur. Effectum enim eſt, *ut is, cujus familia eo ſciente adipiſcendæ recuperandæ poſſesſionis causâ arma ſumpſerit, vel qui Autor ſeditionis fuerit, pœna teneatur hujus Legis l. 3. §. 4. h. t.* Qui posſesſionem alienam invadere tentant armatâ manu, valde noxium & periculoſum moliuntur factum, quatenus vi manifeſtâ turbas edunt in civitate, nec non occaſionem dant majori tumultui, ac ideo Lege Juliâ de vi publicâ tenetur, qui hominibus armatis poſſeſſorem domo agrove ſuo dejecerit. *l. 3. §. ult. ad Jul. Leg. de vi publ.* Inſuper ea res ad Legem Corneliam ſpectat, quoniam frequentes admodum & inevitabiles oriuntur cædes ubi ad manus ventum eſt in concurſu hominum armatorum, qui tuentur aut vendicant ſibi jus momentaneæ poſſesſionis. Pulchrè Imperator Conſtantinus declarat, ſe capitis ſupplicium decernere adverſus eum, qui vim fecerit & poſſesſionem temeraverit; *l. 6. C. Eod.* additâ hujus acerbitatis verisſimâ ratione, quod multa facinora ſub uno violentiæ nomine continentur, & verbera cædesque crebro deteguntur hoc prætextu admiſſæ. Tanti igitur periculi metu Lex Cornelia bene porrigitur ad eum qui ſervos aut liberos homines in armis habuerit turbandæ poſſesſionis causâ. Similis eventus inevitabilis eſt in *ſeditionibus:* Qui conſilium ineunt ſeditionis faciendæ,

& huic

& huic rei ſuam adhibent autoritatem, rei fiunt Majeſtatis: *l. 1. ad Leg. Jul. Majeſt.* vim quoque publicam committunt: *l. 3. ad Leg. Jul. de vi publ.* denique puniuntur ut *Sicarii*, cum ſeditionis obtentu & gladiorum licentiâ fiunt cædes atrocisſimæ, eò ſeverius coërcendæ quò majorem ſperant impunitatem ſeditioſi homines, quando adeſt copia latendi, & valdè difficilis ac moleſta ratio habetur inquirendi in verum cædis autorem. Dux & auctor ſeditionis, qui arma ſumſit, aliisque præfuit, non evitat L. Corneliæ pœnam.

IX. Poſtremò, *qui hominem libidinis vel promercii causâ caſtraverit*, ex Senatus C. pœnâ Legis Corneliæ afficitur. *d. l. 3. § 4. h. t.* & in eandem ſententiam citatur reſcriptum Hadriani ab Ulpiano in *l. 4. §. 2. h. t.* Jam antea conſtitutum fuerat à Domitiano ne ſpadones fierent, nam ille *mares caſtrari vetuit*, teſte Svetonio in ejus vita *Cap. 7.* Suo tempore Conſtantinus in orbe Romano fieri eunuchos prohibuit ſub capitis pœna. *l. 1. C. de Eunuch.* Dices, quâ ratione crimen iſtud refertur ad Legem Corneliam de Sicariis? Quia manifeſtum imminet cædis periculum, & experientia docuit ê multis qui caſtrantur paucisſimos incolumes evadere, ſicut diſſerit Juſtianus *in Nov. 142.* Illi etiam qui ſponte ſe caſtrandum dedit, capitalis erit. *leg. d. 4. in fin. h. t.* Hi quoq; qui *thlibias* faciunt ex Conſtitutione Divi Hadriani ſunt in eadem cauſa, qua hi qui caſtrant. *l. 5. eod.* Græcus interpres Theophil9, *Paraphr. in §. 9. Inſt. de Adopt.* Eunuchi facit genus eosq; diſpeſcit in tres ordines, ut ſint *Caſtrati, Spadones, Thlibiæ. Caſtrati*, qui ſcelere virilitatem amiſerunt, *Spadones*, qui à natu-

ra

râ laborant vel perpetuô vel temporali vitiô, debiles ut & frigidi cum ſpe in Venerem convaleſcendi. *Thlibiæ*, quibus attriti ſunt teſtes, eoque incapaces gignendi. Omnes hæ ſpecies ad prohibitionem Legis Corneliæ pertinent, & quicunque in ſe, vel in alios tam impium delictum auſi fuerint, ex Conſtitutionibus ſe adſtringunt crimini perpetratæ cædis, ac ſi gladium ſtrinxiſſent, doloque malô occidiſſent hominem.

X. Hiſce omnibus jungunt illos, qui ſuſurris magicis homines occiderint, quales in Jure recenſentur Mathematici, haruſpices, ſortilegi, qui his artibus abutuntur ad internecionem hominum, *l. 2. & ſeqq. C. de Mathem. & malef.* Tantô odiò digni, ut haud ſimpliciter gladiô verum etiam igne & peſte ferali conſumantur. *l. 3. & 6. C. Eod.* Hæc ſeveritas non abhorret ab Analogiâ juris divini, quod Magos commemorat, & ultimo ſupplicio dedi jubet. *Exod. 22. v. 18. Deut. 18. v. 10.* In Germaniâ vivi comburuntur Magi, qui ſunt rei maleficiorum & initæ pactionis cum dæmone ex Conſtitutione Caroli V. art. 44. Plura de Magis, cùm plurima vana ſic, addere nec libet, nec licet.

CAPUT III.

Quô memorantur Caſus excepti à Lege Corneliâ.

§. I.

E Doctrinâ, quam utroque ſuperiori capite expoſuimus, plus quam manifeſtum eſt, illos

los teneri Lege Corneliâ de Sicariis, qui dolô malô occiderunt, aut occidere conati ſunt. Ordo nunc poſtulat ut videamus Exceptiones. Lex Cornelia deſiderat *dolum malum*, h. e. animum & voluntatem occidendi, quæ ſi abfuerit, ſententia Legis Corneliæ ceſſat. Infans igitur & furioſus ſi hominem occiderint, lege Corneliâ non tenentur: *l. 12. h. t.* Infans enim non intelligit quid agat, ideoque illum innocentia conſilii tuetur; furioſum verò fati infelicitas excuſat. Quid de impubere dicemus? Videtur ita demum hoc crimine obligari, ſi proximus pubertati ſit, & ob id intelligat ſe delinquere, quem leges ajunt eſſe capacem furandi & injuriæ faciendæ. *leg. 111. de R. J.* Cùm autem homicidium ex affectu occidendi conſtet, quidni hocce maleficium cadat in impuberem pubertati proximum? Simili ratione legis hujus rei habentur puberes viginti annis minores, qui ſine dubio ſunt doli capaces. His propter ætatem non datur impunitas delicti, *l. 7. C. de Pœn.* neque ſuccurritur ex causâ delicti, niſi interdum miſeratio ætatis ad mediocrem pœnam judicem perduxerit, *l. 37. de Min.* cujus exceptionis arbitrium religioni judicantis eſſe committendum docet Sandius *Lib. 4. Tit. 9. def. 4.* Res huc redit, ut rarò minores excuſentur, qui ſcientes & conſulto cædem commiſiſſe arguuntur, ne ſit ætatis excuſatio contra Legum præcepta, ei, qui dum Legis invocat, adverſus eas committit. Conf. *Ord. Crim. art. 164.*

II. Porrò, quoniam Lex Cornelia dolum exigit, illud in quæſtionem cecidit, an *laſcivia* ſub

Digitized by Google

dolô malô comprehendatur? Et comprobatum eſt factum Proconſulis, quòd in quinquennium relegaſſet eum qui per laſciviam alteri præbuiſſet mortis cauſam. *l. 4. ff. §. 1. h. t.* Vitiô ſanè non caret laſcivia neque culpâ vacat; Haud tamen adeò grave peccatum cenſetur, ut dolo æquiparetur. Nam ubi cædes fit per laſciviam, plerumq; ea accidit præter ſpem atque voluntatem occidentis, qui per ludum jocumque agit, & nihil minùs quàm homicidium tentare cogitat. Quod ſi petulanter & malô more ſciens aggreſſus fuerit hujusmodi facinus quod mortis cauſam præbere queat, hîc doli reus erit, atque Legi Corneliæ obnoxius, eventu ſubſecutô. Eadem ratione diſputari ſolet, an doli fundamentum deficere videatur, ubi cædes ab ebriô ſit admiſſa? Vulgò diſtinguunt hac parte inter ebrium & ebrioſum. Hunc appellant, qui quotidianâ potandi conſvetudine captus eſt, eâq; occaſione rixis, contentionibus & pugnis ſe nobilitat; huic difficile eſt veniam dare vel eximere eum Legi Corn. ſi temerè ad arma prorumpat, & hominem occidat. Quod ad ebrium attinet, qui fortè ſe paulò hilariùs invitavit, ita ut vicerit vinum, vix ei pœna L. Corn. remittetur, quod ſi per graviorem ebrietatem ad manus aut ad ferrum venit, benignior eſt opinio *Doctorum*, qui moderandam jurisdictionem cenſent, eò quod magis improviſô impetu quàm dolô peccavit. *l. 11. §. 2. de Pœn.* Qui vero prorſus vinô ſepultus fuit, ut nec mens neq; corpus officium ſuum rectè faceret, is propter ignorantiam ſuæ actionis, quam nullô modô intelligit immunis erit à Lege Corneliâ. Putem

ego

ego utrumq; caſum eſſe committendum religioni judicantium, qui rem totam prudenti arbitriô, & è re natâ aliàs ordinariæ, aliàs extraordinariæ pœnæ locum dabunt. v. Gaïl. *lib 2. Obſ. 110. n. 27.* Wiſſ. *ad h. t. §. 16. in fine.*

III. Eſt etiam valdè inſignis & notatu digna exceptio in perſonâ ejus, qui alterum interfecit, *adhibitâ moderatione inculpatæ tutelæ*, quâ phraſi utuntur Impp. *in l. 1. C. unde Vi.* Multum refert probè cognoſci quando & quomodo illud moderamen inculpatæ tutelæ adhibitum cenſeatur. Ad inculpatæ tutelæ probationem duo deſiderantur. Primò ut vis corpori noſtro ſit illata, deinde ut periculum aliter evitari nequeat, quam ipſius invaſoris interitu. De vi illatâ pulchrè philoſophatur Florentinus *in l. 3. de Juſt. & Jure. Hoc Jure evenit, inquit, ut quod quisq; ob tutelam corporis ſui fecerit, jure feciſſe exiſtimetur.* Hoc etenim jus naturâ comparatur, ut vim vi repellere liceat, ex Casſiô ſcribit Ulpianus *in l. 1. §. 27. de Vi & Vi arm.* Lex ea naturæ eſt, quæ fluit ex ipſo naturæ inſtinctu, quo non tantùm homines, ſed & bruta animalia feruntur ad conſervationem ſui. Quo autem medio poſſumus vitam ſervare incolumem atque ſalutem noſtram tueri, niſi liceat vim & injuriam propulſare, eaque declinare quæ nobis ſunt nocitura. Ovidius hoc vidit & appoſitè canit:

Judice me fraus eſt conceſſa repellere fraudem
Armaque in armatos ſumere jura ſinunt.

Secundùm hæc ſi quis alium vi dolôque aggreſſus, fuerit extinctus ictu fatali ejus, quem ipſe conſtituerat in vitæ periculo, hic *jure cæſus* videbitur, *l. 2. & 3. C. h. t.*

Digitized by Google

Procul abeſt dolus ab eo, qui invaſus à latrone vel inſidiatore, neceſſitate urgente ſe defendere, & propter vim illatam ſaluti ſuæ conſulere debuit. Idem eleganter in oratione pro Milone proſequitur Cicero: *Si tempus eſt ullum, ait, jure hominis necandi, quæ multa ſunt, certe illud eſt, non modò juſtum, verùm etiam neceſſarium, cùm vivis illata defenditur.* Minimè peccat propriæ ſalutis defenſor, qui ſequitur neceſſitatem & legem præſcriptam à naturâ, quæ *cognationem* quandam inter homines conſtituit, cujus vinculum ſalvum eſſe nequit, ſi altero alteri fas ſit inſidiari. E-contrariò dictat illius cognationis fides, meritò plecti eos, qui turpiter hanc cognationem violare poſitisq; inſidiis ſe mutuo lædere audent.

IV. Ne verò quiſquam generali hac regulâ abutatur, Legiſlator Romanus Naturæ ductum ſecutus, circumſcripſit iſtius *moderaminis* legem. Tunc demum impunè feret is, qui invaſorem occidit, *cum aliter ſe tueri*, i. e. mortis periculum effugere non potuit. *l. 45. §. 4. ad L. Aqu.* Hujus autem neceſſariæ tutelæ probatio incumbit illi, qui periculum allegat. *l. 1. C. h. t.* Quare ſi conſtet, ab initio fuiſſe copiam evadendi & imminens periculum declinandi, vix eſt ut fides habeatur fictæ neceſſitatis allegationi, nam qui fugere potuit, ſed occidere maluit, haud omnino abſolvendus erit, ſi abſque evidenti periculo ſe ſubducere & in locum propinquum ſat commodè ac tutò ſe recipere queat. Nec movet, quòd eam fugam ſibi putet ignominioſam: hanc enim interpretationem nulla probat juris ratio, ut illius potiùs ignominia ſit,

qui

Digitized by Google

qui injuriam patitur, quàm ejus qui infert. Quam verò ſpeciem neceſſariæ defenſionis adferet is, qui certamen iniquum experiri, quam detrectare maluit. Militi quidem ex acie fugere haud licet *l. 3 §. 6. de Re mil.* Sed illic agitur de vi juſta, quæ jure belli infertur, hanc ſane militem ſuſtinere oportet, cujus officium eſt arma tractare, iisque Patriam & Rempublicam tueri: ſecus ſi fecerit, grave dedecus & turpitudinem in ſe admittit. Longè diverſa eſt cauſa ejus, qui opinione falsâ qualiscunque ignominiæ pugnam ſubit, ubi facultas fugiendi in promptu eſt, modo excipias caſum, quo ipſa fuga minùs à periculo tuta videtur. Si tamen locus & perſonæ ratio non careat effectibus infamiæ, ab ordinariâ abſolvendus erit. Nec tenetur invaſus primum expectare ictum, aut paribus uti armis. In evidenti periculo licet quali quali remedio ſangvinem redimere.

V. Ex iis, quæ hactenus dicta fuêre, non eſt in difficili, quis excedere cenſeatur inculpatæ tutelæ moderationem. Primò ſi quis non confeſtim, ſed ex intervallo, jam liberatus ſcilicet à periculo cædis, invaſorem interfecerit, hic juſtæ defenſionis terminos excedit. Hoc enim ulciſcendi magis quam tuendi causâ factum eſt, ac ideò non eſt indulgendum vindictæ ſtudio, quod certè inpunitum eſſe nequit. Multò magis ad hunc exceſſum pertinet provocationis temeritas, quando alter alterum ad pugnam provocat, & provocatus ſua ſponte paruit huic invitationi, ſi tum ſuſceptô duellô provocatus tollat è mediô provocantem, parum abeſt, quin fiat ordinario more reus Legis Corneliæ,

quia non caſu ſed voluntate & conſultò peccavit. Qualis actio voluntaria & pernicioſa nullô prætextu excuſari poteſt. Quænam heic eſt vis illata? quænam defenſio honeſta ſalutis expediendæ, quæ neutiquam periclitabatur? Nihil occurrit niſi iræ indignitas & vindictæ inſolentia. Tu dices: *Ignoſcendum eſt ei, qui voluit ſe ulciſci provocatus, l. 14. §. 6. de Bon. lib.* In infinitum non valet hoc dictum, & ultionis venia, quæ cis terminos h. l. eſt reſtringenda. Ulpianus hic agit de illa criminum retorſione, quæ inſtituitur more & ordine judiciali, non quæ fit autoritate privatâ & illegitimo tramite: tantùm abeſt, ut permittat ei, qui læſum ſe contendit, ſibi jus dicere, & in alterius necem vindictæ ſatisfacere. Si quis tamen intolerandâ laceſſitus injuriâ, vel inſigni contumelia motus, aliquid loci dederit juſto dolori, haud gravatè conceſſerim, eum, homicidiô perpetratô, mitiori extra ordinem pœnâ mulctandum eſſe, cujusmodi lænioris pœnæ ſpecimen Interpretes obſervant in marito, juſtum dolorem exequenti, quoad uxorem in adulteriô deprehenſam *l. 38. §. 8. ff. ad Leg. Jul. de Adult. Add.* Wiſſenb. *Diſſertatione ad leg. 3. de Juſt. & Jur. §. 12. auctoresque illic relatos.*

VI. Eleganter etiam quæritur, an inculpatæ tutelæ moderatione defendi queat mas aut fœmina, qui quæve pudicitiæ tutandæ causâ ſtupratorem interfecerit? Quod prorſus affirmandum: cùm viris bonis iſte metus major quàm mortis eſſe debeat. *l. 8. §. 2. quod met. cauſ.* Legis lator Romanus egregiâ curâ pudicitiam ſanguini Romano tutam eſſe voluit, ejus-

Digitized by Google

ejusque ſeverum cuſtodem agit, dum vitæ pudicitiam æquiparavit, ac impunitum habuit pulcherrimum facinus, quo occubuit improbus ſtuprator: Sic Paulus *Lib. V. Sent. Tit. XXIII. Qui latronem cædem ſibi inferentem, vel alium quemlibet ſtuprum inferentem occiderit, puniri non placuit*: Laudat quoque jus illud Cicero *Oratione pro Milone: Pudicitiam cum eriperet militi tribunus militaris in exercitu C. Marii, interfectus ab eô eſt, cui vim inferebat. Facere enim probus adoleſcens periculosè, quàm perpeti turpiter maluit*: Idem exemplum narrat Valerius Maximus, quod Marius C. Luſcius ſororis ſuæ filium tribunum militum à C. Platio manipulari milite, *jure cæſum pronunciavit quia eum de ſtuprô compellare auſus fuerat.* Eadem æquitatis & honeſtatis ratio movit Divum Hadrianum, ut reſcripſerit, eum dimittendum, qui ſtuprum ſibi vel ſuis inferentem occidit, *l. 2. §. ult. h. t.* Hancce Romanam in tutandâ pudicitiâ gravitatem mores gentium, imò generis humani ſanctiſſima reputatio firmant probantque.

VII. Incidit & alia quæſtio, an neceſſariam tutelam exceſſiſſe videatur, qui furem occiderit vim rebus bonisque noſtris inferentem? Doctores vulgò ſtatuunt ob ſolam defenſionem rerum illicitam eſſe cædem. Quod poſt conſtitutionem Car. V. *in Ord. Crim. art. 140.* verum exiſtimo, niſi manifeſtum vitæ periculum fuerit conjunctum. Cujusmodi periculum evidens præſumitur contemplatione furis nocturni, quem noctu deprehenſum Lex 12. Tabb. occidere permittit, diurnum verò non niſi is ſe telo defendat.

dat. *l. 4. §. 2. ff. ad L. Aquil.* Econtrario ſcribit Ulpianus: Si quis furem nocturnum occiderit, ita demum impune laturum, cùm illi parcere ſine periculo non potuit. *l. 9. ff. h. t.* Diſſidium ingens, de quo vehementer laborant Interpretes. Alter JCtus hoc caſu deſiderat moderationem inculpatæ tutelæ, alter ita recitat Legis 12. Tabb. ſententiam, quaſi ſimpliciter illa cædes permiſſa foret. Animadvertit eam difficultatem Cujacius, & ſic tollit *lib. 14. Tit. 15.* ut argumento 12. Tabb. impune quidem occidi potuiſſe furem nocturnum, ſed poſterioris uſu temporis illum rigorem fuiſſe mutatum putet, eoque reſpicere Ulpianum *d. l. 9.* Utcunque hæc conciliatio pluribus arrideat Interpretibus, non facilè tamen iſtud certum eſſe dixerim. Magis eſt, ut credam, interpretationem hujus articuli in L. 12. Tabb. non eſſe faciendam infinito ſenſu & ſine ullâ exceptione. Cenſuit potius Legum lator in dubio furem nocturnum jure cæſum videri, quia noctu regulariter alioquin rem ſuam tueri non poſſet; non tantùm quia auxilio deſtituitur aliorum, ſed &, quia elapſo fure vindicare rem non poſſet, quem teſtibus idoneis convincere non poteſt, tum quia noctu non ſunt teſtes niſi forte domeſtici, tum quia, etſi eſſent, noctu non ſatis fur dignoſcitur; tum denique quia lubrico noctis diſcerni nequit an telo veniat armatus nec ne. Exigit tamen lex, ut Paterfamilias proclamet, & minis ac ſtrepitu conetur expellere & abigere furem. Quod ſi clamore & omni illo conatu nihil actum fuerit, neque fur à propoſito deſtiterit, nocturnæ tenebræ juſtusq; timor in re dubia ſuffi-

ſufficiunt excuſandæ cædi. Hoc ſenſu, ut putem, Lex 12. Tabb. permittit occidere furem nocturnum, nec uſus unquam aliud ſvaſiſſe vel tuliſſe videtur. Nam quod ad autoritatem attinet Ulpiani *d. l. 9.* malim ego iſtum locum capere non tantùm de periculo vitæ, ſed & bonorum, ut tum demum impunis ſit, quando ſalvâ vitâ, corpore & bonis parcere non potuit. Hoc ergo teſtari clamore debet; aliàs, ſi cùm res ſalvæ ſint, fugientem evadere tamen & cupientem telo proſtraverit, haud immunis erit à ſuſpicione homicidii, &, ſi innocentiam probare non poſſit, reus erit Legis Corneliæ: *l. 5. ff. ad Leg. Aquil.* niſi pro meritô circumſtantiarum Judex arbitretur, hocce delictum pertinere ad exceſſum hujus ordinis, ac proinde leniùs puniendum. Sic mea fert opinio, quod ad hujus quæſiti discusſionem; Cæterùm Conſtitutiones Principum recentiorum ſingulis privatisque hominibus dant copiam ultionis adverſus fures & graſſatores nocturnos, qui ruri & in agris diſcurrunt, ac vim facere minantur, eorumque cædem penitus impunitam efficiunt. *l. un. C. quando lic. priv. ſe vindic.* Obtinet ea licentia in agris & locis ſolis; alia eſt ratio oppidorum, in quibus periculum clamore ſignificari, multòque faciliùs ope Magiſtratuum & vicinorum auxilio poteſt averti.

VIII. Sequuntur adhoc aliquot caſus, quibus homicidium quidem fit, attamen impune illud aufert ipſe reus ê dictamine Legis & juris Civilis. Nemo eſt vel mediocriter doctus in Arte noſtra, qui neſciat, more & inſtitutô Civitatis Romanæ vetuſtisſimo Patres olim habuiſſe immenſam & prope infinitam poteſtatem in

Digitized by Google

liberos ſuos, in tantum quoq; ut jus vitæ neciſq; contra illos exercerent. Poſterior ætas & nova hominum converſatio ſuſtulit illud jus rigidum ſuaq; ſeveritate par hereli in ſervos poteſtati. Nihilominus veſtigia hujus rei atque indicia nulla non remanſerunt *in Corp. Juris,* quo utimur. Eximiè liquet hoc inde, quod Patri jus datur occidendi filiam, in poteſtate habet, in adulterio deprehenſam: *l. 20. ff. de L. Jul. de Adult.* imò etiam jus eſt interficiendi adulterum pariter in ipſa turpidine rei venereæ deprehenſum. *l. 23. pr. Eod.* Sciendum verò, hanc juris facultatem ſoli patri competere, cujus pietas non eſt reprehendenda, quâ conſilium pro liberis capit, ait eleganter Papinianus *l. 22. §. ult. Eod.* Verecundia paterni nominis vix ſinit patrem exuere naturalem amorem erga prolem ſuam, atque affectionem, quæ impedit ne quid nimis ira & odio percitus temere decernat pater, cui ſemper cordi, curæque eſt liberorum ſuorum ſalus.

IX. *Paulò* aliter ſe res hæc habet in marito, qui uxorem deprehenſam in adulterio occidit: hic ſi tractus impetu doloris uxorem in adulteriô deprehenſam interfecerit, non utique Legis Corneliæ de Sicariis pœnam excipiet, cùm ſit difficillimum temperare juſtum dolorem; ſed quia plus fecerit, quàm quod vindicare ſe non debuerit, omninò puniendus. Hactenùs ei ſaltem gratia fit delicti ut humiliori loco poſitùs in exilium perpetuum detur, in dignitate poſitus, ad tempus duntaxat relegetur. *l. 1. §. ult. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar. juncta. l. 38. §. 8. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* Cur tàm variè reſpectu patris & mariti? Dicam

cam paucis, quam ob cauſam id viſum fuerit Romanis, quoniam ſtudium & deſiderium flagrans juſtiſſimam exequendi injuriam ſæpè transverſos agit viros, ut ſeu veri ſive falſi criminis ſuſpicione, non ſuſtineant iræ furentis impetum, nec quicquam reſpiciant, dum dolorem vindicent, iſte calor & impetus facilè decernentis fuit refrænandus, nè ſubindè impotenti animo immodicus iræ in uxorem pudicam ſæviret: *d. l. 22. §. fin.* Tanta ſævitia non cadit in pietatem patris, quâ ductus nihil contra naturales ſtimulos facturus, neque filiam immeritò ſuppliciô mactare auſurus creditur. Utcunque autem iſtæc licentia patri fuerit conceſſa, minime tamen fas illi eſt liberos ſuos atrociter tractare. Oportet eum meminiſſe patriam poteſtatem in piete non in atrocitate conſiſtere. *l. 5. ff. Ad L. Pomp. de Paric.* Peccat itaque pater, ſi præceps in filium irruperit, eumque inauditum occiderit, quem ex legis præcepto deberet apud præfectum præſidemve provinciæ accuſare. *l. 2. ff. h. t.* Invitus inſuper filium emancipare cogitur, ſi malè contra pietatis officium tractaverit illum. *l. ult. Si quis à par. manum.* Denique cùm illud ex æquitate naturali caritateque ſanguinis deſcendat, ut liberos decorè exhibeat pater, nec iis alimenta deneget, judex ſe interponet & recuſantem hoc onus ſubire compellet. Imo ſi prolem ſuam parens, cùm jam in rebus humanis eſſet, abjecerit & publicis locis expoſuerit miſericordiæ causâ, quam ipſe non habet, partum necaſſe videtur & de homicidiô tenebitur. *l. 4. de Agnoſc. & alen. lib.* quô factô pater inhumanus etiam excidit

jure patriæ poteſtatis in ſobolem ſuam, quam pereuntem contempſit duriter immiſericorditerque *l. 2. C. de Infant. exp.*

X. Propter odium & atrocitatem *Raptus* placuit etiam impune interfici illum, qui viduam aut virginem honeſtam rapere, & abducere peſſimô exemplô probatus fuerit, quoties in rapina vel flagranti crimine ſit deprehenſus *l. un. C. de Rapt. Virg.* redditâ ratione: *quia nec ab homicidii crimine vacui ſunt raptores.* Quatenus ſcilicet è raptu crebræ cædes oriuntur dum aliis vim inferre tentantibus alii cum indignatione reſiſtunt, vel quia virginitas corrupta reſtitui nequit. *d. l. un. princ.* Eaq; ſanctio valet, ſive abducta de domo ſaltem in domum libidinis causâ muliere ſive expleta libidine. Transfugas etiam licet ubicunq; inventi fuerint quaſi hoſtes interficere. *l. 3. § ult. h. t.* ut & militiæ deſertores. *l. 2. C. quando lic. ſe vind.* An etiam ſine fraude & crimine licebit occidere monſtrum, quod contra formam humani generis natum eſt, & magis alterius generis & animalis eſſe videtur? Doctores hic variant: Non immeritò negandum videtur; ſi ab homine natum fuerit; niſi fortè nulla rationis & humanitatis appareant veſtigia; ſecus ſi forma quidem corporis ſit monſtroſa, ſed rationis humanæ non deficiunt indicia. Vide Anth. Mathæum *de Crim. pag. m. 475.*

CAP. IV.
Quô agitur de Pœnâ Legis Corneliæ.

§. I.

§. I.

QVandoquidem expoſuimus ex profeſſo illos caſus, qui merentur pœnam Legis Corneliæ *de Sicariis*, res ipſa poſtulat, ut ergo videamus, quæ vera ſit iſtius legis ſeveritas & propria vindicta. Eam pœnam conceptis verbis refert Ulpianus *in l. 3. §. pen. h. t. Legis Corneliæ de Sicariis & Veneficis pœna, inſulæ deportatio eſt, & omnium bonorum ademptio. Sed ſolent hodiè capite puniri, niſi honeſtiore loco poſiti fuerint, ut pœnam legis ſuſtineant: humiliores enim ſolent vel beſtiis ſubjici, altiores verò deportantur in inſulam.* Inſulæ deportatio, quam JCtus memorat, pœna fuit exilii perpetui, qua utplurimum adficiebantur viri nobiliores, quæque bonorum omnium & Civitatis Romanæ jacturam inferebat. Inventa fuit hæc pœna & introducta à Cæſare Auguſto teſte Dione *Lib. 56.* quo tempore hi, quibus aquâ & igni interdici ſolebat, cœperunt in inſulas deportari, quod partim ut aſperior eſſet coërcitio, partim ut dominandi arcanum fuit receptum, ne exules in latam fugam acti & liberi vagi facilè coirent ac res novas molirentur.

II. Ex his abunde patet, deportationem propriè & *αὐθεντικῶς* non fuiſſe Legis Corneliæ pœnam, quam ipſe Sulla Auctor ejus ſuo tempore ignoravit. Hic procul dubiô Sicariis aquâ & igni interdixit, ubi mors erat illud extremum ſupplicium ſtante Republica civibus Romanis irrogare. Cum verò poſtea in locum aquâ & igni interdictionis ſurrogata eſſet deporatio,

l. 2.

l. 2. §. 1. ff. de pœn. l. 3 ff. ad Leg. Jul. Pec. atque utriusque idem effectus, Ulpianus quoque eandem mutationem ſecutus, meminit *deportationis* in noſtro textu, quam ſubeunt honeſtiore loco poſiti in ſi offendant, Leg. Corn. nam humiliores ſolent capite puniri vel beſtiis ſubjici. Quid hoc? An decet legem in puniendo perſonas diſtinguere! Imo ex doctrinâ *Ariſtotelis* in pœnis infligendis lex perſonis ut æqualibus utitur. Pœna eſt delicti æſtimatio, nec æquum eſt idem delictum variis æſtimationibus coërceri in homine viliore & honeſtiore. Quo colore defenditur hæc proſopolepſia? Ad hæc ite reſpondeo. Præmiis atq; pœnis Reſpublica conſiſtit, ex ſententia Platonis: Nemo negat, ob meritum competere renumerationem vel majorem vel minorem pro dignitate perſonarum. Quidni rationem eandem in pœnis admittamus? Eadem eſt cauſa à vitiis abſterrendi, quæ eſt excitandi ad virtutem. Quamobrem in publicâ criminum vindictâ perſonarum diſcrimen excludi nequit, quemadmodum ſæpe jus Romanum pro meritô & conditione perſonarum diverſas infligit pœnas *l. 2. de Term. mot. l. 3. §. 2. de ſtell. l. 28. §. ult. de pœn.* Servandus tamen eſt modus in hâc delictorum æſtimatione, ne porrigatur ea dignitatis prærogativa ultra rectæ rationis & publicæ ſalutis menſuram. Ideoque vix eſt, ut totum pœnæ genus perſonali intuitu mutare liceat, quo capitalis adverſus viliores fiat, non capitalis in honeſtioribus, quod hic locus aperte permittit. Hocce vitium animadvertiſſe videtur ipſe Legum lator Romanus qui recentiori jure voluit ultore

re ferro perſequi homicidas, ut memoriæ mandavit Juſtinianus *in §. 5. Inſt. de publ. Jud.* quæ ſanctio legi divinæ congruit, ut qui ſanguinem humanum effudit capite & ſanguine luat graviſſimum peccatum.

III. *Sic* ſeſe habet hujusce criminis vindicta & pœna reo impoſita. Inſuper etiam fiſco vindicatur hereditas, eaque auffertur homicidæ, qui è medio ſuſtulit illum, cujus erat futurus heres è teſtamento vel ab inteſtato. Sanè ſi indignus honore teſtamenti ſit is, qui temerè maledixit defuncto & infauſtas voces adverſus illum excitavit, *l. 9. §. 1. de his quæ ut indign.* item, cujus negligentiâ vel culpâ teſtator periit, *l. 3. Eodem.* meritò hâc jacturâ plectitur ille, qui dolo malo teſtatórem necavit à quô hæres erat inſtitutus *l. 10. C. Eod.* Denique etiam privato Legis Aquiliæ judicio damnum luere tenetur, qui ſervum alienum rebus humanis eripuit, *pr. Inſt. de Leg. Aqu.* & quidem Dominus, cujus ſervus injuriâ occiſus fuerit, ex capite primo Legis Aquiliæ damum perſequi & capitalis criminis reum facere poteſt homicidam. *§. 11. Eod.* Hæc autem judicia Legis Aquiliæ & Corneliæ cumulantur h. e. eo modo concurrunt ut alterum alteri nullum creet præjudicium, *l. 23. §. 9. Eod.* cum in diverſa tendant, & ab aliis atque aliis perſonis exerceantur. Quamdiu tamen pendet actio Legis Aquiliæ, conquieſcere oportet judicium Legis Corneliæ, quod moveri non debet, antequam finita ſit diſputatio Legis Aquiliæ. Iſthoc ſenſu capere licet *l. 4. de Publ. Jud.*, ubi dicitur *præjudicium* fieri Legi Corneliæ per legem Aquiliam. De cæde liberi hominis vulgo dant Interpretes utilem Legis Aquiliæ actionem. *arg. l. 13. ff. de Leg. Aqu.*, non malè qvatenus agitur

Digitized by Google

tur ratione ejus quod intereſt; ut nempe heredes interfecti perſequantur damnum pecuniarium, ſi quid eo nomine ſibi illatum probent, minime verò de ipſa corporis æſtimatione, quam non recipit homo liber. Tantum eſt, quod de lege Corneliâ expoſuimus, ut lectori poſſibile ſit ſummô digitô & quaſi per indicem tetigiſſe. Diligentior harum rerum ſcientia & imprimis variæ pœnæ hujus mitigationes & intenſiones, ex latioribus Interpretum commentariis petenda ſunt, cum noſtri fuerit inſtituti, non excedere fines Academicæ Diſſertationis. Vale B. L. noſtriſq; ſtudiis animo & mente benignâ fave.

ANT 1318170

Digitized by Google